THEOREMATA 4

CXI.

DE MINISTERIO

&

REGIMINE

ECCLESIASTICO.

Juxta Exemplar quod

EDINBURGI:

Excudebat Evanus Tyler, Regiæ Majestatis

Typographus. 1648.

DECERTUM SYNODI.

Sess. vel. ann. 1647

SOlennis fœderis seriò & cordicitus expendentes summam obligationem, quâ coram Deo tenemur sincerè, realiter, efficaciter & constanter, omnes & singuli, nostris stationibus, ordinibus & vocationibus, studere & sedulam navare operam, ut Religio reformata, in doctrina, cultu, disciplina & Regimine, in hac Ecclesia nostra Scoticana sarta tecta conservetur: ut Religio in Regnis Angliæ & Hiberniæ, quoad doctrinam, cultum, disciplinam & regimen, juxta verbum Dei & exemplum Ecclesiarum optimè reformatarum reformetur & instauretur: simulque omnem adhibere conatum, studioque indefesso anniti, ut tria hæc regna, in omnibus istis quatuor prædictis arctissimè conjungantur, & uniformitatem colant: præterea ut errores, hæreses, schismata, & quæcunque sanæ doctrinæ contraria reperientur, radicitus extirpentur: Altius etiam animo volventes, è præcipuis mediis, quibus nos in nostris stationibus, ut hos facilius & fœlicius assequamur fines, uti deceat, unum esse, ut zelo Dei accensi & veræ Reformatæ Religionis amore ducti publicum exhibeamus testimonium, contra periculosa dogmata Erastianismi, Independentiæ, & Libertatis Conscientiæ falso sic nuncupatæ: quæ tria non solum sanæ doctrinæ è diametro opponuntur, verumetiam eminenter remoræ sunt

& impedimento, quo minus doctrina divina, cultus disciplina & regimen Ecclesiasticum, quæ nos amplexi sumus, & apud nos vigent & florent, sarta tecta conserventur: Insuper Reformationem Ecclesiarum in Angliâ & Hibernia, & uniformitatem, in quam collimatur plurimùm remorantur. Propterea Synodus hæc generalis, lectis & auditis Thesibus CXI. *insequentibus, quas coram Synodo exhibuerunt & proposuerunt fratres nonnulli, quibus diserte demandata fuit hæc provincia, ut in promptu haberent Propositiones & Theoremata nonnulla, quibus agnita & recepta veritas quoad ista tria vindicaretur: uno ore, & unanimi consensu accedit & astipulatur octo hisce articulis seu doctrinæ capitibus quæ in prædictis Thesibus continentur & asseruntur,* viz. *Primò, Quòd Ministerium verbi & Administratio Sacramentorum Novi Testamenti, Baptismi putâ & Cœnæ dominicæ, statuta sint Dei & quidem ab ipso instituta, in hoc, ut usque ad consummationem sæculi in Ecclesia jugiter permaneant. Secundò, Quòd verbi & Sacramentorum Administratores debeant ritè ad hoc vocari & ordinari. Tertiò, Quòd nonnullæ censuræ Ecclesiasticæ peculiariter infligantur in illos solùm qui Ecclesiastico munere funguntur aliæ censuræ communes sint, & infligi possint cum in Ministros, tum in alia Ecclesiæ membra. Quartiò, Quòd censura abstentionis vel suspensionis à Sacramento sacræ,* Cœnæ, *irrogata propter crassam ignorantiam, vel propter scandalum & apertum offendiculum vitæ; necnon censura Excommunicationis, seu ejectio è sacro cœtu peccatorum flagitiosorum, vitæ profligatæ, & offirmato corde contumacium, utraque, in sacra pagina asseratur, ut menti Dei consentanea, & in Ecclesiis propter institutionem divinam necessaria. Quinto Quòd veluti jus, potestas, & auctoritas politici Magistratus sint secundum Dei verbum, & reformatarum Ecclesiarum Confessiones propugnanda; ita non minùs verum sit & certum, Iesum Christum unicum Caput, unicumque Ecclesiæ Regem & Monarcham instituis*

se &

& ordinasse regimen Ecclesiasticum, à civili regimine, seu Magistratu politico distinctum & disparatum. Sexto, Quòd Regimen hoc Ecclesiasticum conessibus & Synodis Ecclesiæ, è Ministris verbi & senioribus gubernantibus conflatis à Christo demandetur. Septimò, Quòd minores & inferiores Ecclesiastici conessus, majoribus & superioribus subordinari & subjici debeant. Octavò, Quòd nihilominus, & his non obstantibus, sit penes politicum Magistratum, eique ex officio incumbat coercere, & corporalibus pœnis vel civilibus mulctis punire eos qui errores & hæreses divulgando, aut schismata fovendo, Dominum Deum magno afficiunt dedecore, Religioni periculose efficiunt, & pacem Ecclesiæ interturbant. Quæ doctrinæ capita (utut ab autoribus & fautoribus errorum antedictorum respectivè oppugnata) Nationalis hæc Synodus arctè amplectitur, certo credit, propugnat, alijsque seriò commendat pro solidis, veris, orthodoxis in verbo Dei fundatis, & judicio cum Theologorum priscorum, tum Ecclesiarum optimè Reformatarum consonis Et quia huic præsenti Synodo (per multitudinem negotiorum summè necessariorum) impræsentiarum non licet CXI Theoremata prædicta minutatim & particulatim examinare; ideo exactior rimatio, & accuratior examinatio ante dictarum Propositionum per hoc præsens decretum demandatur Theologicis facultatibus & Professoribus quatuor Academiarum hujus regni: & Judicium singularum istarum facultatum insequenti Synodo Nationali decernitur renunciandum. Interim Theoremata ista sunt typis mandanda tum ut singulæ Ecclesiæ hujus Scoticanæ Classes, facilius exemplaria sibi comparare poterint, tum ut, cum juris publici sunt facta liberum sit quibuslibet, quos excitat animus, ea perlegere & quid de ijs sentiant, sequentj Synodo Nationalj notum facere.

A. Ker.

THEORE

THEOREMATA
CXI.
DE MINISTERIO
&
REGIMINE
ECCLESIASTICO

I.

QUemadmodum Dominus noſter Jeſus Chriſtus Eccleſiam inviſibiliter per Spiritum Sanctum docet & ducit, ita in ea colligendá, inſtruendá, ædificanda, & ſalvanda, adminiſtris tanquam organis ſuis utitur, ordinemque docentium & diſcentium in Eccleſia conſtituit, atque ut

alij quidem ſint oves, alij vero Paſtores.

2

Enim vero præter primos illos Eccleſiæ Chriſtianæ fundatotes extra ordinem miſſos, donoque miraculorum, quo doctrinæ Evangelicæ veritatem confirmarent, inſtructos; ordinarios etiam Paſtores & doctores ad opus Miniſterij, tantiſper dum ad Judicium redierit, obeundum deſtinavit ac dedit. *Epheſ.* 4.11.13 Quocirca & ordinarios verbi divini ac Sacramentorum adminiſtratores, legitime utut mediate vocatos, veluti ipſius Chriſti œconomos atque legatos recipere iiſque aucultare debent quotquot ſe Dei populo adnumerant, vel Chriſtiani haberi volunt.

3

Nemini quantumvis idoneo, præclariſque donis ditato ac exornato, vel verbi vel Sacramentorum adminiſtrationem, ex privatorum aliorumve penes quos non eſt jus vocandi, arbitrio obire, nedum ex proprio Judicio ſibi aſſumere aut arrogare fas eſt; ſed priuſquam cuipiam Sacroſanctum illud Miniſterium obire liceat, in Eccleſijs jam conſtitutis, ſpecialis vocatio; & quidem preter legittimam electionem (que ſola non ſufficit) miſſio, ſeu (ut vulgo nuncupatur) Ordinatio neceſſario requritur: Idque tum ad vitandam confuſionem, atque januam impoſtoribus (quantum in nobus eſt) præ-

præcludendam; tum propter inſtitutionem divinam in ſacra ſcriptura nobis traditam. *Rom.* 10. 15. *Heb.* 5. 4. 1. *Titus* 1. 5. *Tim.* 4. 14.

4

Eccleſia nec ab alijs quam adminiſtris ac œconomis à Chriſto præfectis & adſcitis, nec aliter quam juxta leges ab ipſo latas regi debet ac proinde nulla eſt in terris poteſtas, cui imperium aut dominium in eccleſiam ſibi vendicare liceat. Quicunque verò ſint qui illa quæ Chriſti ſunt, non juxta Chriſti ordinationem & & voluntatem in verbo ſuo retectam, ſed ut ipſis libet, atque ad ipſorum nutum ac præſcriptum adminiſtrari velint; quid aliud moliuntur quàm infãdo quodãSacrilegio, Chriſtum de ſolio ſuo deturbare ? 5

Unicus enim Legiſlator noſter, Paternæque voluntatis interpres, Ieſus Chriſtus regulam juxta quam cultum ſuum, domuſque ſuæ Gubernationem inſtitui vult, præfixit & præfinivit. Hanc Chriſti regulam, in verbo ſuo ſancto promulgatam, ad conſilia, voluntates, mores, inſtituta, vel leges hominum inflectere, ſumma eſt impietas: Sed contra, lex fidei conſilia & inſtituta hominum regulæ iſti conformari jubet, omneſque ſecularis ſapientiæ λογισμὸς everit, animique intumeſcentis æſtus & cogitationes in captivitatem redigit ad obediendum Chriſto. Neque enim in Eccleſiâ ullius

lius hominis, ſed ſolius Chriſti vox obtinere debet

6

Idem Dominus ac ſalvator noſter Jeſus Chriſtus, unicum Eccleſiæ caput, non ſolum verbi annunciationem, verum etiam regimen Eccleſiaſticum à politico diſtinctum ac diſcretum in Novo Teſtamento inſtituit; atque in omnibus ſuis, ubique terrarum Eccleſijs, tam ſub Chriſtiano quàm ſub infideli Magiſtratu degentibus, vigere, & ad finem uſque ſeculi locum habere voluit *Heb.* 13. 7. 17. 24. 1 *Tim.* 5. 17. 19. *Rom.* 12. 8. 1 *Cor.* 12. 28. 1 *Theſſ.* 5. 12. *Act.* 20. 28. *Luc.* 12. 42. 1 *Tim* 6. 14. *Apoc.* 2. 25.

7.

Regimen illud Eccleſiaſticum à politico diſcretum, non toti Eccleſiæ, ſeu cœtui fidelium; ſed verbi divini Miniſtris, unà cum ſenioribus, qui ipſis ad Eccleſiæ curam ac gubernationem adjuncti ſunt, divinitus commiſſum eſt: 1. *Tim.* 5. 17. Iſtis itaque, qui Eccleſiæ in Domino præſunt, poteſtas eſt, ſimulque ex officio incumbit, ſecundùm verbi Dei normam inter Sanctum & prophanum diſcernere ac Judicare, delinquentium emendationi operam dare, Eccleſiamque à ſcandalis (quoad ab iis fieri poteſt) repurgare: idque non ſolùm inquirendo, inſpiciendo, monendo, increpando,

pando, duriuſque expoſtulando; ſed & ulteriores ac ſeveriores diſciplinæ Eccleſiaſticæ partes obeundo; ſeu juriſdictionem Eccleſiaſtico-forenſem, uſque ad cenſuras maximas ac graviſſimas (ubi opus eſt) exercendo.

8.

Nemo qui in Eccleſiâ eſt, exlex, aut à cenſuris Eccleſiaſticis exemptus eſſe debet; ſed in omnia Eccleſiæ membra exercenda eſt diſciplina, abſque reſpectu ſeu conſideratione qualitatum illarum adhærentium, quæ homini apud alios homines favorem conciliare ſolent: ejuſmodi ſunt, potentia, Nobilitas, ſtemmatum ſplendor, opes, & id genus alia. Neque enim apud eos qui his moventur ſalva eſſe poterit Judiciorum æquîtas. Quare ab omnibus Judicibus præſertim autem Eccleſiaſticis longiſſimè abſit προσωποληψία illa. Si verò cujuſpiam in Eccleſia animus adeo ſuperbè intumeſcat, ut huic diſciplinæ ſubeſſe recuſet; atque ſe ab omni examine & Iudicio Eccleſiaſtico immunem & exlegem eſſe velit; illius Genius, Pontificis Romani faſtui, quàm ovium Chriſti ſubjectioni & manſuetudini ſimilior eſt.

9.

Cenſura porrò Eccleſiaſtica eſt vel Miniſtrorum propria, vel iis cum aliis Eccleſiæ membris communis. Illa in ſuſpenſione vel depoſitione (quæ in vetuſtis Canonibus καθαίρεσις dicitur

dicitur) Miniſtrorum ab officio : Iſta in Excommunicatione minore (quam vocant) & majore conſiſtit. Quicquid in alio fratre, id multo magis in Miniſtro Eccleſiæ Excommunicationem meretur : aſt merito quandoque Miniſter quiſpiam exauthorandus & abdicandus eſt, ac ea poteſtate quæ per ordinationẽ data fuit, privandus; Contra quem tamen, Excommunicationis Gladiũ vibrare, nulla ratio cogit.

10.

Interdum etiam accidit ut in hæreſin vel Apoſtaſiam, vel aliud grande crimen prolapſus Miniſter, ad Eccleſiæ Communionem ſi veræ reſipiſcẽtiæ ſigna oſtendat, Iurè recipiatur; quẽ tamẽ in priſtinum locum, ſortè etiã in Miniſteri dignitatem alibi reſtitui, ſimulatque in ſinum Eccleſiæ receptus eſt, haud quaquam expedit quod ſanè, tam verbo Dei, 2 *Reg.* 23. 9. *Ezech.* 44. 10. 11. 12. 13. 14. Quàm antiquæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ quæ ſeculis aliquot poſt Apoſtolorum tempora in uſu fuit ; maximè conſentaneum eſt : Adeo verum eſt, Miniſtros Eccleſiæ tam peculiaribus quàm communibus cenſuris obnoxios eſſe, ſeu aliter quandoque Miniſtrum Eccleſiæ, aliter ex plebe quempiam ἀφορίζεσθαι.

11.

Cenſura Eccleſiaſtica quæ non eſt Miniſtrorum propria, ſed iis cum aliis Eccleſiæ membris communis, eſt vel ſuſpenſio à cœnâ dominicâ,

dominicâ, (quæ ab aliis *Excommunicatio publicani* nuncupatur) vel membri abſciſſio, quæ propriè Excommunicatio dicitur. Duplicis hujus cenſuræ vulgò, (quanquam non ita propriè) ſub nomine Excommunicationis minoris & majoris ventilatæ, diſtinctio, non tantùm Eccleſiæ *Scoticanæ* Synodoque *Weſtmonaſterienſi* hodiernæ; ſed & Eccleſiis Reformatis *Gallicis*, necnon *Belgicis* & *Polonicis* vehementer probatur; ut videre eſt in Libello *Eccleſiaſticæ diſciplinæ Reformatarum Eccleſiarum in Gallia, Cap. 5. Art. 9. in harmonia ſynodorum Belgicarum: Cap. 14. Art. 8. 9. in Canonibus Torunienſis ſynodi Generalis Anno Dom. 1595. celebratæ.*

12.

Duplicis illius ἀφορισμοῦ diſtinctionem veteſtati quoque probatum fuiſſe ſatis liquere poterit conſulenti ſextæ Synodi œcumenicæ Canonem 61. Cum annotatis *Zonaræ* & *Balſamonis*, item Octavæ Synodi (quæ *prima* & *ſecunda* nuncupatur) Canonem 13. Cum Notis *Zonaræ*. Quid quod etiam ipſi pœnitentes quarti gradus, ſeu οἱ ἐν συγκασει, à cœna Domini ſuſpenſi erant: etſi quoad cætera, ejuſdem conditionis cum fidelibus: nam ad Communionem orationum, adeoque ad omnia ſocietatis Eccleſiaſticæ privilegia, unâ exceptâ Euchariſtiâ, jus habere cenſebantur: adeo Sacroſancta res exiſtimabatur Euchariſtia. Conſule item, præter alios, *Cyprianum, lib. 1. Epiſt.*

Epiſt. 11. *Dionyſium illum Eccleſiaſticæ Hierarchiæ autherem. Cap.* 3. *Part.* 3. *Baſilium*, Epiſt. *ad Amphilochium Can.* 4. *Ambroſium*, *lib.* 2. *de officiis*, *Cap.* 27. *Auguſtinum*, *lib. Contra donatiſtas poſt Collationem*, *Cap.* 4. *Chryſoſtomum*, *Hom.* 83. *in Matth. Gregorium magnum*, *Epiſt. lib.* 2. *Cap.* 65. & 66. *Walafridum Strabonem*, *de rebus Eccleſiaſticis. Cap.* 17.

13

Prior, illa minorque cenſura ex inſtituto Chriſti irroganda eſt in ejuſmodi homines qui baptiſmum ſuſceperunt, ſeque pro veræ Eccleſiæ membris gerunt; indonei tamen ac indigni deprehenduntur qui ſignis gratiæ divinæ cum Eccleſiâ communicent; ſive propter rerum divinarum, legis ſcilicet & Evangelij craſſam ignorantiam; ſive propter ſcandalum doctrinæ pravæ, vel vitæ improbæ: Propter has igitur cauſas, vel harum aliquam, à Sacramento cœnæ Domini, præeunte legitima cognitione, arcendi ſunt; juxta interdictum divinum, quo quod Sanctum eſt, Canibus dari, vel Margaritas coram porcis proiici prohibetur, *Matth.* 7. 6. Idque tantiſper dum tulerint καρπὸς ἀξίους τῆς μετανοίας.

14

Suſpenſioni huic aſſerendæ haut exiguum robur accedit ex ipſius Sacramenti naturâ, inſtitutione & fine. Annunciandum eſt quidem verbum Dei tam impijs & impœnitentibus

tibus ut convertantur, quam pijs & pæniten-
tibus, ut confirmentur: Sacramentum verò
Cœne Domini divnitus inſtitutun eſt, ad gra-
tiam nutriendam & augendam, non item ad
Gratiam inchoandam; ac proinpe nemo ad S,
Cœnam addmittendus eſt, qui vità teſtatur ſe
impœnitentem & impium eſſe.

15

Profecto ſi ad id inſtituiſſet Dominus hoc Sa
cramentum ut non tantum fidem foveat atq; a-
lat, promiſſioneſque evangelij obſignet; ſed
etiam opus Gratiæ in peccatoribus inchoet, ac
ipſam regenerationem (tanquam cauſa illius
inſtrumentalis) exhibeat; omnino ad menſam
Domini admittendi forent impuriſſimi etiam
& indigniſſimi homines. Atqui aliter ſentiunt
Eccleſiæ Reformatæ de naturâ hujus Sacramen
ti quod ex ſequenti ſpecilegio quantulocunque
ſatis ſuperque manifeſtum erit.

16

Confeſſio Scoticana Art. 23. *Cœnam vero Domini tantum Domeſticis qui ſe examinare & probare poſſunt tam in fidei quam in fidei officiis erga proximos, pertinere confitemur. Qui ſine fide aut qui eum fratribus ſuis in diſſentione manentes, in ſacrà illa menſa edunt & bibunt, indigné edunt, Hinc eſt quòd in Eccleſia noſtra paſtores publicum & particulare examen tum cognitionis tum converſationis ineunt, eorum qui ad Cœnam Domini Ieſu ſunt admittendi.* Confeſſio belgica, Art. 35.

Credimus

Credimus etiam & confitemur D. Jesum Christum servatorem nostrum, Sacrosanctum cœnæ suæ Sacramentum instituisse, ut in eà nutriat ac sustentet eos quos jam regeneravit.

17

Confessio Saxonica, Art. 5. De Cœnâ Domini. *vult* (Dominus) *quemlibet sumentem hoc testimonio singulariter confirmare, ut statuat ad se pertinere beneficia Evangelij, cum Concio sit communis: & hoc testimonio, hac sumptione, ostendit te ipsius membrum esse, & te ablutum esse sanguine suo.* Dt mox. *Sic igitur erudimus Ecclesiam, accessuros ad Cœnam Domini oportere panitentiam seu conversionem adferre: & accensâ jam fide in cogitatone de morte & resurrectione & beneficiis filij Dei querere hic confirmationem hujus fidei.* Hæc eadem habentur, & quidem αὐτολεξεὶ in Synòdo *Sendomirienſi* Annno, 1570. Art De Cæna Domini.

18

Confessio Bohemica, Art. 11. *Docent deinde (nostri) quod Sacramenta per se, vel ut quidam dicunt, ex opere operato, his qui prius bono mòtu non sunt præditi, & intus per Spiritum Sanctum vivificati, non conferunt gratiam; nec fidem illam justificantem quæ mentem hominis Deo per omnia obsequentem, fidentem ac morigerum reddit, largiuntur. Præcedere enim fidem oportuit* (*de adultis loquimur*) *quæ hominem per Spiritun Sanctum vivificet, & Cordi bonos motus in ciat,* Et infra *Enim-*

verò,

vero, ſi quis indigne ad Sacramenta acceſſerit, non is per ea dignus aut mundus redditur: ſed inde ſibi tantum majus Peccatum & damnationem accerſit.

19.

Cum igitur in Sacrà Cæna non primùm accipiantur beneficia Evangelii, ſed pro acceptis Gratiæ agantur; nec per illius participationem Deus largiatur ipſam vitam Spiritualem, ſed vitam illam conſervet, foveat & perficiat: cùmque verbū Dei habeatur inſtar tabularum vel literarum; Sacramenta verò inſtar ſigillorum, ut rectè ait Confeſſio *Helvetica*, *Cap.* 19. Planè conſequitur, quod ab eà arcendi ſint qui fructibus moribuſque ſuis, ſe impios vel impœnitentes, atque ab omni cum Chriſto communione alienos eſſe, certo probant: Neque enim promiſſiònes Gratiæ aliis obſignantur quam illis ad quos promiſſiones illæ pertinent: alioqui ſigillum appenſum repugnaret & contradiceret ipſi diplomati: ac verbo *viſibili* ſolverentur qui *audibili* ligantur: atqui hoc abſurdum ejuſmodi eſt, ut ſi quis emplaſtro quocunque lenire velit, haudquaquàm poterit.

20.

Quemadmodum autem manifeſto impii ac irregeniti nihil Juris ad Sacram menſam adepti ſunt: ita & pii Jure illo, propter grave ſcandalum ad tempus merito privantur. Neque enim cognitis ac notatis hominibus impuris, illiſve qui ambulant ἀτάκτως (ſive nondum renati fu-

erint,

fuerint, ſive renati lapſi, at nondum inſtaurati, nec a lapſu reſurgentes) Promiſſiones ac conſolationes illas quæ credentibus ac reſipiſcentibus factæ ſuut, obſignari fas eſt. Iſtiuſmodi plane diſciplina ſub veteri Teſtamento adumbrata fuit; Nemo enim ex Dei Populo, durante immunditie legali, tabernaculum ingredi, aut ad Sacra Solemnia & commercium Eccleſiæ accedere permittebatur: Ac multo magis templi aditu arcebantur impii & ſcelerati, tantiſper dum oblatione pro delicto unà cum ſolemni ejuſdem confeſſione, ritè expiati Deo reconciliarentur *Num.* 5.6.7.8. *Levit.* 5. ad verſ. 7. cum *Leui.* 6. ad verſ. 8.

21.

Sed & immundis ſceleribus pollutos ex lege ac cenſeri, *Maimonides in More Nevochim, Part.* 3. *Cap.* 47. probat, ex *Lev.* 20.3. *Lev,* 18.24. *Num* 35.33.34: Itaque cum ſanguinis inſontium profuſio, longê maxima pollutio Jurè exiſtimaretur; hinc erat quod ſicut leproſi conſortium à viris ſanis, ita homicidæ conſortium a viris probis Religioſiſſimè devitabatur; *Lament. Jer.* 4.13, 14. 15. Teſtis porrò eſt *Ananus* ponfex, apud *Ioſephum de bello, Jud. lib.* 4. *Cap.* 5. pſeudozelotas illius temporis, homines ſanguinarios, templi aditu arcendos fuiſſe propter τὴν μιαιφωνίαν Quin & teſte *Philone, lib. de offerentibus victimas* edicto prohibebantur ſacra adire limina quotquot indigni ac improbi deprehenderentur.

22.

22

Nec præteriri oportet quod à *Zonara*, *Annal. Tom.* 1 annotatum est (de quà re, vide etiam suffragantem *Scaligerum*, *in Elench. Nic. Serrar. Cap.* 28.) Nempe Essenos tanquam ἐξαγεῖς & piaculares (ut qui aliter sentirent & docerent de Sacrificiis quàm juxta legem, nec ritus Moisaicos observarent) communi sacrario prehibitos fuisse, nec intra Templum admissos, proptereâque privatim sacrificasse. Quid, quod ipsi etiam Esseni, quos deprehenderant improbos, à suà congregatione depulerint? de quo vide, *Drusium de tribus sectis Judæorum*, *Lib.* 4. *Cap.* 22.

23.

Noluit sanè Deus Templum suum patere indignis ac impuris cultoribus; nec istiusmodi hominibus Templum ingredi liberum fuit Ita *Nazianzenus*, *Orat.* 21. Ita etiam perhibent Neoterici, Habræorum monumentis reserandis assuetiores. Consule *Vatabili & Ainsvvorthi* Angli annotata, in *psal.* 118. 12. 10 Item *Cornelium Bertramum de repub. Ebær. Cap.* 7 *Constantinum L' Empereur Annotat. in Cod Middoth*, *Cap.* 2. *pag.* 44. 45. *Henricum Vorstium*, *animadv. in pirke R. Elieser*, *pag.* 169. Idem evinci potest ex *Ezech* 23, 38. 39. *Jer.* 7. 9. 11, Unde etiam Cœtus solemnis & publicus in Templo, nomine Cœtus justorum, & Congregationis Sanctorum potitus fuerat. *Psal.* 89.

 5. 7.

5. 7. *Pſal.* 111. 1. *Pſal.* 147. 1. Hinc & illud, *Pſal.* 118. 19. 20. De portis juſtitiæ; per quas juſti intrant.

24.

Id jam non agitur, ut prorſus à cœtibus noſtris Eccleſiaſticis, adeoque à verbi divini auditu, omnes impii ac impuri excludantur. Nihil minus: eſt ënim verbum Dei tam converſionis quàm confirmationis organum, ac proinde tam converſis quàm non converſis, tam impœnitentibus quàm reſipiſcentibus annunciandum eſt. Templum Hieroſolymitanum ſpeciales quidem habuit promiſſiones, quaſi digito monſtrantes communionem cum Deo per Chriſtum; 1. *Reg.* 8. 30. 48. *Dan.* 6. 10. 2 *Paral.* 6, 16. &c. 7. 15. 16. De Templis noſtris diſpar eſt ratio: *Quia Templa noſtra nihil in ſe Sacramentale continent?* ut quidem rectè doctiſſimi profeſſores Leidenſis, *in Synopſ. Pur. Theol. Diſp.* 48. Theſ: 47.

25.

Quamobrem is jam Scopus reſpici debet, ut ſub novo etiam Teſtamento, utcunque feratur impuritas illorum quibus annunciatur verbum divinum: omnes tamen cujuſcunque ſtatus vel conditionis in Eccleſiâ, qui manifeſtis gravibuſque ſcandalis contaminati, ſe extra internam & ſpiritualem cum Chriſto & fidelibus communionem eſſe teſtantur: a Cœnæ Dominicæ communione plane arceantur, quoad reſipuerint & mores mutaverint. 26.

26.

Quid quod illi etiam quibus ſacra Iſraelis atria adire, adeoque ſeſe in communionem Eccleſiaſticam ingerere conceſſū non erat, quique conſiſtebant in Intermurali, non propterea ab omni verbi divini auditu arcendi fuerant? Nam in pòrticu Solomonis, adeoque in Intermurali ſeu atrio gentium, annunciatum fuit Evangelium, tum à Chriſto, *Ioh.* 10. 23. tum ab Apoſtolis: *Act.* 3. 11. & 5. 12. Idque conſulto, ob rationem allatam à *Pineda*, *de Rebus Solomonis*, *Lib.* 5. *cap.* 19. Quia ibi denſior erat multitudo, & ampliuſcula ſeminandi Evangelii occaſio, quare, quibuſvis ibi convenientibus, etiam Ethnicis, verbum prædicari voluit Dominus: qui tamen Templum repurgans, non ſolùm menſas numulariorum, & Cathedras vendentium ſubvertit: ſed & ipſos vendentes ac ementes ejecit: *Math.* 21. 12. Neque enim vel perſonas iſtiuſmodi in Templo ferre potuit.

27.

Etſi igitur omni Creaturæ annunciandum Evangelium, id mandante Domino diſertis verbis, *Marc.* 16. 15. Non tamen quibuſvis in Eccleſiâ patet acceſſus ad Sacram Cœnam. Siquidem haud diffitendum eſt, deliteſcere in Eccleſiâ Hypocritas, qui vix redargui, nedum à menſâ Domini arceri poſſunt: tales igitur ferendi ſunt, donec ventilabro Judicii granum

à paleà ſeparetur. Aſt illi quorum impia πράγματα vel ῥήματα innoteſcunt; à ſymbolorum iſtorum fœderis Evangelici participatione omnino arcendi ſunt, ne Dei nomen ſummâ contumeliâ afficiatur, dum ſcelera impunè in Eccleſiâ graſſari permittuntur; neve oeconomi Chriſti ſigna gratiæ Dei illis, in ſtatu impuritatis ac ſcandali perſeverantibus, impertiendo, peccatis illorum communicent. Hactenus de ſuſpenſione.

28.

Ad Excommunicationem, non niſi extremâ neceſſitate cogente, procedendum eſt: at quotieſcunque delinquentis anima aliter ſanari nequit, Eccleſiæque ſalus membri hujus vel illius abſciſſionem flagitat, ultimo hoc remedio uti oportet. In Eccleſiâ quidem Romanâ Excommunicatio in ſummam injuſtitiam & tyrannidem converſa eſt; quemadmodum etiam Phariſæi ejectione ex Synagogâ (quæ illis Excommunicatio planè fuit) ad explendam animi ſui libidinem abutebantur: Non tamen propterea Sanctum Chriſti inſtitutum, à Reformatis ullis exterminandum aut explodendum eſt. Quis Reformatus neſcit, Antichriſti mancipia in peſſimos & perniciosiſſimos abuſus rapuiſſe Cœnam Domini, ordinationem Miniſtrorum, aliàque inſtituta Evangelica? At quis dixerit res neceſſarias (ſive neceſſitas ſit præcepti, ſive medii finiſve) propter abuſum, è medio tollendas eſſe? 29.

29.

Igitur qui elatâ manu in ſuâ pravitate perſe-
:erant, poſt prævias admonitiones procaciter
:eſpectas, vel ſocorditer neglectas, ex Cœtu
:delium, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti
:er Excommunicationem meritò exſcindun-
:ur & ejiciuntur, ejectique ab Eccleſiâ eſſe
:ronunciantur; donec pudore ſuffuſi & dejecti
:d ſaniorem mentem redierint, atque criminis
:onfeſſione ſeu exomologeſi, morúmque
:mendatione, vere reſipiſcentiæ ſigna oſten-
:erint: *Math.* 18. 15, *16*, *17*. *18*. 1 *Cor.* 5.13.
:tque hæc quidem loca allegantur etiam in
Bohemica Confeſſione, *Art.* 8. Ut probetur,
:xcommunicationem impœnitentium & con-
:macium, quorum nota eſt impietas, à Do-
:mino præceptam eſſe. Quòd ſi contumaces
:reticí, vel impuri homnes Eccleſiâ non mo-
:eantur, in eo peccant atque rei peraguntur
:cleſiæ Rectorès. *Apoca.* 2. 14. 20.

30.

Atqui ut omnis in regimine Eccleſiaſtico
:buſus ac corruptela vel vitetur vel auferatur;
:ne poteſtas Eccleſiaſtica, vel non nullorum
:parſim Adminiſtrorum inſcitiâ ſeu imperitiâ,
:ut etiam præfervido ingenio ac nimio animi
:ſtu, terminos ac metas exuperet atque excur-
:at; vel è Contra, intra arctiores, quàm par
:t, cancellos concluſa, inutilis, elumbis, ac
:uſtranea redda tur: Chriſtus ſapientiſſimus

Ecclesiæ Legislator exorituris ejusmodi malis omnibus prospexit, iisque remedia intrinseca seu Ecclesiastica, & quidem in suo genere (si ritè rectèque adhibeantur) tum sufficientia tum efficacia aptavit ac præstituit: eorumque nonnulla disertè admodùm in verbo suo proposuit alia per necessariam consequentiam inde deducenda reliquit.

31.

Igitur propter clavis (quod ajunt) errantis periculum, atque ut particularibus Ecclesiis aberrandi & peccandi licentia non fiat: nec de illius causâ actum sit, qui in Ecclesiâ particulari eosdem fortè habuit adversarios & Judices: ut etiam Communia negotia quæ ad multas Ecclesias spectant: necnon controversiæ graviores & difficiliores, quas in particularium Ecclesiarum consistoriis decidi minimè tutum est, communi Presbyterorum consilio tractentur & definiantur: Denique ut Ecclesiarum Rectores sibi mutuò, contra pervigiles ac astutos veritatis hostes, auxilium impendant, viresque suas, quantæ quantæ illæ sint, sancta conspiratione jungant, sitque Ecclesiâ veluti castrorum acies ordinata: ne dum singuli pugnant universi vincantur: neve piorum ac prudentum consiliariorum (in quorum multitudine salus est) penuriâ, res Ecclesiasticæ corruant: particulares Ecclesias, earumque consistoria, Presbyteriis Classicalibus & Synodis subordinari ac subjici oportet.

32.

32.

Quapropter Ecclesiis particularibus, seu (ut vulgo nuncupantur) Parochialibus, nec ipsarum classium Synodorûmqe (ubi illa legitimè constituuntur, vel haberi possiunt) auctoritatem declinare: nedum ab eâ semel agnitâ sese subducere, nec Classium vel Synodorum legitima ac verbo Dei consentanea statuta, aut decreta, quæ cum autoritate iis imponuntur, respuere fas est: Act. 15. 2, 6, 22, 23, 24, 28, 29, Act. 16. 4.

33.

Etsi Synodi rarius, classes & particularium Ecclesiarum consistoria frequentius & sæpius conveniant: Synodos tamen tum Provinciales tum Nationales, non minus quam Classes & Parochialia consistoria, statis & ordinariis temporibus coire summopere expedit, & politiæ Ecclesiasticæ rite conservandæ necessarium est: Nonnunquam sanè pro re natâ eas cogi expedit, ut urgenti Ecclesiarum necessitati ocyus occurratur: putà quando tale obvenit negotium, quod absque gravi periculo in præstitutum Synodi tempus differri nequit.

34.

Ast insuper ordinarias Synodos statis temporibus haberi utilissimum est: non modò ut difficiliores causas Ecclesiasticas, quæ ad eas, sive per gravati cujuslibet appellationem, sive per inferiorum conventuum ἀπορίαν ac hæsitationem

tionem devolvuntur (ejuſmodi autem negotia ſæpiſſime obveniunt) diſcutiant ac definiant: Verumetiã ut Eccleſiarum, quarum cura eis eſt, ſtatu certius, & quidem non ita raró explorato & cognito, ſi quid ſit quod in illarũ doctrinâ, diſciplinâ vel moribus deſideretur aut animadverſione dignum ſit: deſidioſi in veneâ Domini operarii, excuſſo tandem incuriæ veterno, ad vocationem diligentius obeundam excitentur, nec diutius in officio ſuo ſtertere ſinantur: â veritate aberrantes & deviantes reducantur: pervicaces ac cervicoſi, qui jugum diſciplinæ vix ac ne vix quidem patiuntur: nec non inquieti homines qui nova ac noxia moliuntur, in ordinem redigantur: Denique quæcunque liberiorem, tranquilliorem aut efficaciorem Evangelii curſum impediunt, retegantur & amoveantur.

35.

Nimis quidem (proh Dolor) in propatulò eſt, non deeſſe qui ſtudio indefeſſo id urice ſatagunt, ut Synodorum jura ac libertates opprimant, omnemque de rebus & negotiis Eccleſiaſticis delibrandi, ſaltem definiendi poteſtatem eis præripiant. Neque enim eos latet quantum poſſit contra ipſorùm molimina Eccleſiarum unio & συμφωνια. Aſt eo magis Eccleſiarum ortodoxarum intereſt, præclaram hanc libertatem ſibi divinitus conceſſam ſcire, aſſerere, conſervare, eâq; ſic uti, ut imminentia

ientia pericula, ingruentia gravamina, ſuppull lantia ſcandala, exorientia ſciſmata, irrepentes hæreſes, errores ſemet diffundentes, gliſcentes denique lites corrigantur ac auferantur, ad Dei Gloriam Eccleſiæque ædificationem ac pacem.

36.

Præter Synodos Provinciales ac Nationales, concilii etiam œcumenici (ἀπὸ τῆς οἰκουμένης i.e. ab orbe habitato nuncupati) ſeu verius generalis, vel ſi lubet Univerſalis, ſiquidem liberum ſit ac recte inſtitutum, nec aliarum quàm orthodoxarum Eccleſiarum delegati admittantur (quæ enim communio luci cum tenebris, juſtitiæ cum injuſtitiâ, aut Templo Dei cum idolis?) ſumma eſt utilitas; fortè etiã ſperandum, certe optandum eſt ejuſmodi concilium; pro fide orthodoxâ tum contra Papatum, reliquaſque hæreſes aſſerendâ, tum ad extraneos, Preſertim vero Judæos propaganda, arctior firmiorque conſociatio fœliciter ineatur. Etenim Eccleſiarum omnium ὁμόνοια ut in malo rerum omnium perniciosiſſima eſt: Ita ex adverſo, in bono gratiſſima, utiliſſima & efficaciſſima eſt,

37.

Ad Svnodum etiam Univerſalem (quando ea haberi poteſt) devolvendum eſt Judicium de controverſiis, non quidem omnibus, ſed de iis quæ controverſiæ Juris dicuntur: neque ve-

veró

ró de Universis ac singulis controversiis Juris, sed de Præcipuis ac gravissimis controversiis quæ sunt de fide orthodoxâ, vel de difficillimis ac insolitis casibus conscientiæ: De controversiis facti dispar & longè alia ratio est. Præterquam enim quod grave foret incommodum, actores, reos, testes ex remotissimis etiam Ecclesiis ad concilium œcumenicum trahi: ipsa Ecclesiarum omnium visibilis communio (cui tanquam fundamento innititur concilium universale) non tam consortii ac conversationis, quam Religionis ac doctrinæ est. Omnes quidem totius orbis veræ Ecclesiæ eandem veram Religionem & fidem profitentur: Ast Ecclesiarum ejusdem Nationis vel regni est insuper quædam ἀναμιξις, συνήθεια ac προσδιατριβὴ quod de omnibus τῆς οἰκουμένης Ecclesiis dici non potest.

38.

Idcirco ut in controversiis doctrinalibus quæ à Theologis ac casuistis tractantur, atque in iis quæ communem Ecclesiarum orthodoxarum statum spectant, Synodo Universali legitimæ subordinatur & subjacet Synodus Nationalis, ac ab istâ ad illam (ubi gravis subest causa) provocatio patet; Ita non opus est ut provocationes illorum qui disciplinæ Ecclesiasticæ exercitio in hac vel illâ Ecclesiâ injuriam sibi factam esse queritantur, Synodi Nationalis terminos transiliant; sed rationi maximè consentaneum

entaneum eſt, ut intra terminos ac cancellos los conquieſcant, ibidemque ultimum de iis judicium fiat; niſi res ipſa tam ardua, tantive momenti ſit, ut nodus majore vindice dignus meritò exiſtimetur; atque tum demum, de theſi potiùs quàm de hypotheſi inſtituitur ea controverſia, quæ ad Synodum Univerſalem defertur.

39.

Cæterum poteſtatis Eccleſiaſticæ adminiſtratio in conſiſtoriis, Claſſibus & Synodis, haudquaquam eò tendit ut Magiſtratus politici auctoritatem ullatenus labefactet, ledat vel minuat, nedum tollat aut deſtruat: quinimo utiliſſimum ex eâ adjumentum Magiſtratui accedit; quatenus Religionis vinculo hominum conſcientiæ arctius illi devinciuntur. Non deerunt quidem fanatici, qui ſub libertatis Chriſtianæ prætextu, Jura ac judicia, ordines item, gradus ac dignitates ex Republicâ ejicere & abolere voluerint, atque Magiſtratus gladio armati functionem rebus malis ac illicitis accenſere auſi fuerint. Eccleſiæ autem Reformatæ ſomnia illa reſpuunt ac deteſtantur, atq; conſentientibus calculis lubentiſſimè conſitentur & agnoſcunt, Deum velle mundum legibus ac politiâ gubernari, atque conſtituiſſe Magiſtratum politicum, eique Gladium tradidiſſe in protectionem ac laudem proborum, in malorum autem pœnam & vindictam; ut hoc fræno coer-

no coerceantur hominum vitia ac delicta, ſive contra primam ſive contra ſecundam tabulam commiſſa.

40.

Credunt etiam & palam profitentur Reformati, poteſtatem & authoritatem Imperatorum in ſua imperia, Regum in ſua regna, Principum & Ducum in ſua dominia, aliorumque Magiſtratuum ſeu ordinum in ſuas Reſpublicas ac civitates, eſſe ipſius Dei ordinationem, tam ad Gloriæ ipſius manifeſtationem, quàm ad ſingularem humani generis utilitatem deſtinatam: ſimulque oportere propter ipſius Dei voluntatem in verbo ſuo revelatam, non tantùm pati ut ii dominentur qui ditionibus ſuis, ſive hæreditario ſive electivo Jure præficiuntur, verum etiam eos tanquam Dei Opt. Max. Legatos ac Miniſtros, ipſius vicem gerentes, ac in bonum ſubditorum præfectos amare, timere, omnique reverentiâ & honore proſequi, preces pro iis fundere, vectigalia ac tributa iis pendere, atque in omnibus reipublicæ negotiis quæ verbo Dei non repugnant, legibus vel edictis eorum parere.

41.

Credunt porrò & lubentes agnoſcunt Orthodoxi, quòd omnis legitimus Magiſtratus, utpote, utriuſque tabulæ legis cuſtos ac vindex divinitus conſtitutus, de Dei Gloria imprimis curare, atque more modoque ſuo Religionem

rectè

ctè conſtitutam conſervare, ac collapſam vel epravatam inſtaurare; adeoque de docto pioue Miniſterio, de Scholis etiam & Synodis rõſpicere; itidemque tam Atheos, Blaſphemos, Hæreticos ac Schiſmaticos, quàm juſtiæ pacisque civilis temeratores coercere ac lectere poſſit ac debeat.

42.

Quapropter illorum hujus ſeculi ſectariam, qui cæterà Magiſtratus favorem aucuantes, ei denegant jus coercendi Hæreticos el Schiſmaticos, eoſque quantumlibet veræ eligioni Eccleſiæque noxios & exitiales, à lagiſtratu (modo eos Jura Reipub. neutiquam olare, pacemque civilem nullatenus perturare judicet) tolerandos eſſe contendunt, dogna omnino improbandum eſt.

43.

Poteſtas tamen civilis & poteſtas Eccleſiaſtica haudquaquâ commiſceri vel confundi deent. Utraque quidem poteſtas eſt à Deo, & ad ipſius Gloriã inſtituta, ipſiuſque verbo dirigenta, atque ſub precepto illo morali, *honora Patrem & Matrem*, comprehenſa; adeo ut tum Magiſtratibus politicis, tum gubernatoribus Eccleſiaſticis obediendum ſit in Domino. Utrique poteſtati aſſerenda eſt ſua dignitas & auctoritas. Utrique etiam utriuſque legis tabulæ cuſtodia aliqua commiſſa eſt. Utraque itidem juriſdictionem quandam exercet judiciumque fert

fert in foro exteriori. Hiſce tamen, & id genus aliis in quibus conveniunt, non obſtantibus, immani diſcrimine inter ſe diſtinguuntur diſtinctaque manent utriuſque Jura. Et quidem octo fere modis, quos hic adiicere non pigebit, ut utrique muneri termini ſui præfigantur.

44.

Primò igitur à ſe invicem diſcernuntur reſpectu ipſius fundamenti ac inſtitutionis: Poteſtas enim politica in ipſo Jure naturali fundâtur, proptereaque infidelibus ac Chriſtianis communis eſt: poteſtas Eccleſiaſtica à Chriſti ſolius inſtitutione ac lege poſitiva immediatè pendet. Illa ad univerſale Dei conditoris in omnes gentes dominium: iſta ad ſpeciale & œcumenicum Chriſti Mediatoris regnum, quod in Eccleſiâ ſolâ exequitur, quodque non eſt ex hoc mundo, pertinet.

45.

Secunda differentia eſt in objecto, ſeu materiâ circa quam poteſtas politica verſatur circa hominem externum, ac res civiles ſeu terreſtres; circa bellum pacem, atque juſtitiæ, bonique ordinis in Repub, conſervationem, item circa τα ἔξω τῆς ἐκκλησίας, id eſt, circa ea quæ ſunt quidem Eccleſiæ neceſſaria vel commoda quoad externum hominem, non tamen propriè & puré ſpiritualia: neque enim ad ani-

mam

nam pertingunt, ſed ſolummodo ad mini-
ſtrorum & membrorum Eccleſiæ ſtatum ex-
ternum.

46.

Nimirum quatenus Miniſtri & Membra Ec-
cleſiæ ſunt cives ac Membra Reipub: penes Ma-
giſtratum eſt, de illorum corporibus ac bonis
diſponendis, necnon de pauperibus ægrotis,
exulibus, aliiſque in Eccleſia afflictis ſublevan-
dis; De nuptiis, de ſepulturis, deque aliis cir
cumſtantiis, que tum ſacris, tum aliis honeſtis
ſocietatibus communes ſunt, (quoàd ordinem
politicum) ordinandis & moderandis; De
locis ſacræ ſynaxi idoneis, aliiſque exter-
nis adminiculis, quibus ſacra Domini nego-
tia tutius, facilius, & commodius in Eccle-
ſià peragi poterunt, ſubminiſtrandis; Deni-
que de omnibus externis cultus divini, vel
pacis Eccleſiaſticæ impedimentis removendis;
deque eis qui adverſius veram Eccleſiam, e-
juſque Miniſtros ſeſe extollunt, illiſque mo-
leſtiam concitant, reprimendis, judicare, ſta-
tuere & ſententiam ferre.

47.

Res porro ſic illuſtrari poteſt. Parilis ferre
ratio eſt Magiſtratus, dum verſatur circa τὰ
ἐξω τῆς ἐκκλησίας, & Miniſterii Eccleſiaſtici
verſantis circa τὰ ἔισω τῆς πολιτείας, id eſt,
circa ea quæ in Reipub. Adminiſtratione ad
conſcientiam pertinent. Aliud eſt Rempub.

Adminiſtrare ac leges politicas ferre: aliud verbum Dei interpretari, atque ex eo Magiſtratui officium commonſtrare: putà quomodo Rempub. adminiſtrare & quâ ratione Gladio uti debeat. Illud Magiſtratui proprium & peculiare eſt, (nec ejuſmodi negotiis ſeſe immiſcet vel implicat Miniſterium) Iſtud autem in munere Miniſtrorum Eccleſiæ continetur.

48.

Nam ad id etiam utilis eſt Scriptura ſacra, ut oſtendat, quæ ſit optima Reipub. Adminiſtratio, atque ut Magiſtratus tanquam Dei Miniſter, hac Cynoſurâ ita dirigatur, ut muneris ſui partes juxta Dei voluntatem exequatur, & ad omne opus bonum perfectè inſtructus ſit. Neque tamen Miniſterium propriè dicitur tractare de civilibus negotiis, ſed de ſcandalis, quæ circa ea oboriuntur, vel de caſibus conſcientiæ, quæ in Reipub. adminiſtratione occurrunt. Ita & Magiſtratus non tam circa ſpiritualia, quàm circa τὰ ἔξω quæ ſpiritualibus adjacent verſari propriè dicitur.

49.

Atque in ejuſmodi quidem externis Eccleſiæ negotiis, etſi non omni Magiſtratui opem ei ferre peræque allubeſcat; omnis tamen, etiam Ethnicus ei auxiliari poteſt ac debet. Unde eſt, quod ex præcepto divino, pro Ethnico etiam Magiſtratu preces fieri oportet, ut

fideles

fideles ſub eo vitam tranquillam & quietam degant, cum omni pietate & honeſtate 1. Tim. 2. 1. 2.

50.

Ad τὰ ἔξω τῆς ἐκκλησίας pertinet non tantum hæreticorum, aliorumque Eccleſiæ turbonum caſtigatio; ſed & ordo ille moduſque politicus Synodos convocandi qui Magiſtratui proprè competit. Magiſtratus enim ex officio tenetur, tum Synodorum, ſtatis temporibus ex lege ordinaria coëuntium, Jura ac libertates, auctoritate & ſanctione ſua ſtabilire; tum Synodos pro re natâ quotieſcunque Eccleſiæ neceſſitas ad poſtulat, indicere ac cogere. Non quòd poteſtas vel omnis, vel ulla dè rebus ſpiritualibus ac Eccleſiaſticis deliberandi, eaſque definiendi, à Magiſtratu tanquam Eccleſiæ ſub Chriſto capite fluat vel promanet, ſed quia in iis quæ ſunt Externi hominis, Eccleſia Magiſtratus ſubſidio ac ſuppetiis eget.

51.

Itaque Synodos convocat Magiſtratus, non quoàd ea quæ Synodorum propria ſunt, ſed quoàd ea quæ Synodis cum comitiis, aliiſque conventibus civilibus publicis communia ſunt id eſt, non quatenus ſunt Congregationes in nomine Chriſti, de rebus ſpiritualibus tractaturæ, ſed quatenus ſunt Congregationes publicæ in ſua ditione: ut enim publici conventus in ditione aliqua habeantur, licentia Do-

mini illius loci merito expeti debet. In Synodis igitur ratio habenda eſt ordinis tam politici quàm Eccleſiaſtici: atque ordinis iſtius politici, externæ tutelæ, melioris accommodationis, ſalvi denique acceſſus & receſſus Gratiâ, intervenit conſenſus ac mandatum ejus, qui humani ordinis curator ac vindex conſtitutus eſt.

§ 2.

Præterea, quando Eccleſia infauſto & lugendo Schiſmate dilaceratur, cum illi qui turbas excitarunt, atque concilio celebrando ſive hæreſi, ſive ſchiſmate, ſive tyrannide, aliave aliquâ culpâ cauſam dederunt in eo unicum cauſæ ſuæ præſidium ponere ſoleant, ut liberi concilii examen ac decretum, tanquam ipſis formibabile declinent; quis non videt eos non poſſe ad jus trahi, nec alios immorigeros ad obedientiam cogi, abſque Magiſtratus diplomate & ſubſidio.

§ 3.

Objectum poteſtatis Eccleſiaſticæ non eſt idem cum objecto poteſtatis politicæ, ſed longè diverſum. Nihil enim ſtatuit illa in hominum corpora, bona, dignitates, ac Jura civilia, ſed verſatur ſolummodo circa hominem internum ſeu animam; non quod corda ſcrutari, aut de arcanis conſcientiæ judicare poſſit, quod ſolius Dei eſt, ſed quòd habeat pro objecto proprio externa illa quæ purè ſpiritualia,

alia, & ad animæ bonum ſpirituale propriè & maximè ſpectant quæ etiam τὰ ἐίσω τῆς ἐκκλησίας nuncupantur.

54.

Ea igitur, in quibus verſatur poteſtas Eccleſiaſtica, ſunt verbi divini prædicatio; Sacramentorum adminiſtratio, publica ac ſolennis divini nominis invocatio, atque gratiarum actio, puerorum, rudiorumque Catechiſatio & inſtitutio, illorum qui ad Sacram Communionem acceſſuri ſunt exploratio & probatio, diſciplinæ Eccleſiaſticæ exercitium, Miniſtrorum ordinatio, eorundemve (ſi inſtar ſalis infatuati fuerint) abdicatio, depoſitio, vel degradatio, controverſiarum fidei, caſuumque conſcientiæ ex Dei verbo deciſio ac determinatio, de ærario Eccleſiæ & collectis fidelium, nec non de ritibus Eccleſiaſticis, ſeu de adiaphoris quæ ad ordinem & decorum in Eccleſiâ ſervandum pertinent, ſecundum Chriſtianæ charitatis & prudentiæ regulas generales in verbo Dei contentas, Canonica conſtitutio.

55.

Circa eadem quidem poteſtas politica verſatur, quoàd ea quæ ſunt externi hominis, ſeu quoad externam rerum divinarum diſpoſitionem, in hac vel illâ ditione, ut dictum eſt; non autem quatenus ſunt ſpiritualia ac Evangelica inſtituta ad ipſam animam & conſcien-

tiam penetrantia. Atqui objectum Poteſtatis Eccleſiæ eſt res pura puta ſpiritualis, & in quantum ſpiritualis eſt: nam & ea juriſdictiò Eccleſiaſtica, quæ in foro exteriori exercetur, quæque cenſuras publicas irrogat, uſu ſacræ Cœnæ interdicit, à conſortio Eccleſiæ excludit, propriè reſpicit hominem interiorem ſeu animam, ejuſque reſipiſcentiam ad ſalutem.

56.

Certè fideles & pii Miniſtri, etiamſi impunè & cum bonâ veniâ Magiſtratus (prout prælatorum ſeculo mos invaluerat) poſſent, nollent tamen poteſtatem vitæ ac necis uſurpare, vel de hominum dignitatibus, bonis, hæredatibus, herciſcundâ familiâ, aliiſve negotiis civilibus, Judicare aut ſententiam ferre; cum hæc à munere ſuo aliena eſſe probè norint. Atqui ut cauſarum civilium diiudicationi ſeſe immiſcere non debent; Ita ſi in ſuo officio deſides & ſocordes fuerint, non minus in eo culpabiles erunt.

57.

Ad objectum poteſtatis Eccleſiaſticæ pertinet etiam Synodorum convocatio, quatenus ſunt conventus ſpirituales, Eccleſiæ proprii, ac in Spiritu Sancto congregati: Sic enim Eccleſiarum Rectores juxta exemplum Apoſtolorum & Presbyterorum, Act. 15. In manifeſto Eccleſiæ periculo Jure ſuo coeundi & uuà conveniendi uti debent, quo laborantibus ac peri-

periclitantibus Ecclesiis spiritualiter subveniatur.

58.

Tertiò distinguuntur Munia illa respectu formæ, idque trifariam: Nam primo potestas politica, quamvis respectu Dei, ministerialis sit, respectu tamen subditorum est δεσποτικὴ. Potestas Ecclesiastica authoritate quidem instructa est, verum enimvero illa auctoritas Paternæ quam Regali similior est: quin etiam ὑπηρετικὴ est, seu purè Ministerialis; tantum abest, ut Ministris Ecclesiæ in Gregem dominari liceat.

59.

Imperatores, Reges, aliique Magistratus supremi, patres quidem Patriæ constituti sunt sed sunt insuper populorum ac subditorum Domini; non quod illis pro libitu vel arbitrario imperare concessum sit (sunt enim Dei Ministri subditorum bono ac utilitati) penes illos tamen est verè & propriè κυριεύειν, dominari, principatum obtinere, imperiosè agere. Ministrorum ac antistitum Ecclesiæ est quidem ἐπισκοπεῖν, ποιμαίνειν, κατορθῶν, κλειδῶν, οἰκονομεῖν; nequaquam vero οἰκοδεσποτεῖν, vel κυριεύειν Adeoque hoc interest inter Magistratum politicum & Ministerium Ecclesiasticum respectu hominum qui utrique procurationi commissi sunt, quòd illius fors sit διακονηθῆναι potius διακονῆσαι.

60.

Unum autem habemus Dominum qui animas noſtras gubernat; neque enim hominibus, ſed ſoli Deo competit jus & autoritas in conſcientias. Conſtituit verò Dominus œconomos ſuos ſupra familitium ſuum, ut juxta ipſius mandatum dent unicuique demenſum, ac ipſius myſteria fideliter diſpenſent : iiſque tradidit claves, ſeu poteſtatem intromittendi in domum, vel ex domo eiiciendi, quos ipſe vel intromitti vult, vel eiici. *Matth.* 16. 19. *&* 18, 18. *Luc.* 12. 42. 1 *Cor.* 4. 1. *Tit.* 1. 7.

61.

Deinde poteſtas civilis cogendi poteſtate, ſeu imperio ac dominio inſtructa eſt. At penes Miniſterium non eſt immorigeros cogere: ſi qua verò ſit circa res Eccleſiaſticas coactio, ea aliunde accedit, nempe à Magiſtratus ope & ſubſidio; nam à naturâ poteſtatis Eccleſiaſticæ prorſus aliëna eſt. Proinde ſi abſtentus vel Excommunicatus quiſpiam reperiatur, qui ſit tam ferreæ cervicis, tamque perfrictæ frontis, ut omnem ſemel pudorem abſtergat & deponat, atque cenſuras illas ſuſque deque habeat, contemnat, rideat, ac forſan tentet ſeſe protervè aut per ſuperbiam ingerere & obtrudere vel etiam Satanicâ malitiâ repletus, indies magis magiſque contradicat & blaſphemet; nihil iſtic habet Miniſterium Eccleſiaſticum

quod

quod ultra agat per modum jurisdictionis ; habet autem in promptu Magistratus jurisdictionem cogentem ac vim externam, quâ cotumax Rebellio & infracta superbia externè coërceatur.

62.

Postremò Potestas Magistratus Politicè civiliter agit, pro ratione Sceptri vel Gladii, leges civiles fert & munit, interdum etiam mutat vel abrogat, pœnas civiles infert, Præmia civilia confert, bella gerit, hostes vi repellit, & id genus alia brachio seculari operatur. Potestas verò Ecclesiastica agit spiritualiter, & non nisi in nomine Domini nostri Iesu Christi, ac auctoritate ab eo solo demandatâ, nec sine Dei invocatione; nec denique aliis quàm spiritualibus armis utitur.

63.

Idem igitur Peccatum in eodem homine aliter à potestate politica, aliter à potestate Ecclesiasticâ; ab illâ scilicet sub formalitate criminis, pœna coporali pecuniariâ; ab istâ sub formalitate scandali, censura spirituali, puniri nil vetat: quemadmodum etiam de eâdem quæstione politicâ aliter deliberat & tractat Magistratus in senatu & dicasterio, aliter Minister Ecclesiæ in Presbyterio: ille quatenus ad Reip. Administrationem, hic quatenus ad conscientiam pertinet: Nam & circa civilia spiritualiter versatur Ministerium Ec-

cleſiaſticum, quatenus Magiſtratum ex Dei verbo docet & monet quid optimum Deoque acceptum ſit: vel quatenus παρρησιάζων, injuſta Judicia, jnjuſta bella & iſtiuſmodi alia ex ſacrâ Scripturâ redarguit, iramque Dei adverſus omnem hominum injuſtitiam revelandam comminatur; Sic & politicè circa ſpiritualia verſari dicitur Magiſtratus.

64.

Ergo omnes Magiſtratus Politici actiones, etiam quando verſatur circa Eccleſiaſtica, ſunt ſuâ naturâ & formaliter civiles: Idololatras, Blaſphemos, Sacrilegos, Hæreticos, Sacrorum temeratores externè punit, atque pro ratione menſurâque delicti, morti, exilio, mulctæ facultatum, vel vinculis adjudicat: Canones Eccleſiaſticos civili ſanctione munit & fulcit; Eccleſiæ hoſpitium in ſuâ ditione præbet: Protervos ac indomitos Eccleſiæ turbatores cohibet, vel loco expellit.

65.

De Miniſtris item ac Scholis alendis curat, ac ſervorum Dei neceſſitatibus humanis ſuppetias fert; Synodos quando vis opus eſt pro imperio cogit, atque dſſentientes invitoſque citat, evocat, ad jus trahit; quod niſi Magiſtratus ope & præſidio fieri nequit, ut jam dictum eſt. Synodos etiam ſecuras ac tutas reddit, eiſque (ſi ita viſum fuerit) vel per ſe, vel per delegatum in ordine politico præſidet, in

in

in quibus omnibus poteſtas Magiſtratus ut, ut circa ſpiritualia occupata, nequaquam tamen ſpiritualis ſed civilis eſt.

66

Qartò differunt Fine: Poteſtatis politicæ finis immediatus & proximus eſt, ut Reip bono, ſive pacis tempore, juxta regulas prudentiæ togatæ, ſive belli tempore, juxta regulas prudentiæ militaris, conſulatur & proſpiciatur, adeoque ſubditorum ſalus temporalis procuretur, atque pax externa & libertas civilis conſerventur, vel amiſſæ poſtliminio reſtituantur.

67.

Finis autem illius ſummus & ultimus eſt Gloria Dei Creatoris, nempe ut refrenatis vel punitis à poteſtate ſupereminente, qui, quod malum eſt, faciunt; laudem verò ab eâ obtinentibus, qui, quod bonum eſt, faciunt, eò magis impietatem & injuſtitiam fugiant ſubditi; atque virtus, iuſtitia, ipſaque lex divina moralis (quoàd externa illa utriuſque tabulæ officia, ad quæ omnes Adami poſteri obligantur) vigeat & efflореſcat.

68.

Quod autem Magiſtratus Chriſtianus promovendo Evangelio, Regnoque Jeſu Chriſti ſe totum impendat, omneſque auctoritatis ſuæ nervos & vires iſtuc dirigat ac intendat: id non eſt ex naturâ ipſius officii ſeu muneris, quod illi cum Magiſtratu infideli commune eſt: ſed

eſt: ſed ex communis ſeu Chriſtianæ vocationis in particularem ipſius vocationem influxu.

69.

Unumquodque enim Eccleſiæ Chriſti membrum (ac proinde etiam Magiſtratus fidelis & pius) particularem ſuam vocationem, facultatem, potentiam & dignitatem unicè in hunc ſcopum referre ac derigere debet, ut regnum Jeſu Chriſti propagetur. Itaque Evangelii, omniumque inſtitutorum Evangelicorum promotio eſt quidem finis Pii Magiſtratus, non autem Magiſtratus ſimpliciter: vel (ſi mavis) non eſt finis ipſius muneris, ſed ejus qui munus illud piè exequitur.

70.

Poteſtatis vero Eccleſiaſticæ finis, & quidem tam ipſius Miniſterii quàm Pii Miniſtri, eſt, ut regnum illud Chriſti promoveatur; ut Domini Semitæ complanentur; ut ſacra ipſius myſteria intemerata ſerventur: ut offendicula ex Eccleſiâ auferantur, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat, neve morbida pecus totum inficiat gregem: ut fideles in omnibus ſe gerant ut convenit Evangelio Chriſti: ut errantes Chriſti oves convertantur & ad ovile reducantur.

71.

Cumque poteſtas hæc à Domino data ſit, non ad deſtructionem ſed ad ædificationem: idcirco ad hunc ſcopum refertur etiam Excommuni-

munication, quæ eſt cenſurarum Eccleſiaſticarum maxima & ſumma: nempe, ut peccantis fratris anima Chriſto lucrifiat; atque ut metu perculſus & pudore ſuffuſus contumax peccator per Dei gratiam humilietur, & ex diaboli laqueo, veluti titio ex igne, eripiatur, ac ad ſalutem reſipiſcat: ſaltem ejuſmodi cenſurâ inſignitos reliqui averſentur, ne animarum contagio latius ſerpat.

72.

Quintò diſtinguuntur effectu. Poteſtatis politicæ effectus eſt vel proprius, vel per modum redundantiæ. Effectus proprius eſt ſalus Reipub. temporalis, ſeu tranquillitatis externæ, libertatis civilis, omniumque, quæ civili hominum ſocietati neceſſaria ſunt, fruitio. Effectus per modum Redundantiæ eſt bonum Eccleſiæ, puta, in quantum juſtitiæ ac bonarum legum executione, Remoræ nonnullæ quæ Evangelii curſum ſæpiuſculè interturbant & impediunt, vitantur, vel è medio tolluntur.

73.

Nam quò fidelius officium ſuum exequitur Magiſtratus, ſceleratos pœnis afficiendo, probos fovendo ac in honore habendo, ea quæ Religioni externè obſtant auferendo, Eccleſiæque ſubverſores ac turbones plectendo vel propulſando: eò magis fides orthodoxa & pietas coluntur ac in pretio habentur, ſcelera odio

habentur

habentur & metuuntur, omnes denique ſubditi intra legis divinæ repagula (quantum quidem ad externum hominem ſpectat) continentur. Unde & ex conſequenti evenit, Dei beneficio, quòd eò paucioribus ſcandalis Eccleſia inquinetur, eóque majorem ſortiatur libertatem ac pacem.

74.

Atqui poteſtatis Eceleſiaſticæ, ſeu clavium regni Cœlorum effectus propriùs eſt παντελῶς ſpiritualis: actus namque ligandi vel ſolvendi retinendi vel remittendi peccata, ad ipſam animam ac conſcientiam pertingit: quod de actu poteſtatis politicæ dici nequit. Atque ſicut injuſta Excommunicatio eſt irrita, ſic cenſura Eccleſiaſtica quæ à Chriſti adminiſtris ac œconomis, juxta ipſius voluntatem infligitur, in cœlis rata habetur, *Matth.* 18. 18. Ideoque perinde ut ab ipſo Chriſto irrogata æſtimari & agnoſci debet.

75.

Sextò, Reſpectu ſubjecti etiam diſcriminantur. Poteſtas politica, quandoque uni, quandoque pluribus, quandoque jure electionis, quandoque jure ſucceſſionis, meritò demandatur. Poteſtas autem Eccleſiaſtica nemini ſub novo Teſtamonto jure ſucceſſionis competit, ſed à Deo & Eccleſiâ vocatum eſſe oportet qui eâ potitur: Nec uni alicui, ſive pâſtori ſive ſeniori, nedum Pſeudoepiſcopo,

ſed

ſed τῇ ἐκκλησιᾳ, id eſt Presbyterorum confeſſui a Chriſto data eſt. Poteſtatem quidem quam vocant *ordinis* ſingulis Miniſtris competere, ab iiſque καθ' ἕκαστον legitimè exerceri, quis potis eſt ignorare? Ea verò poteſtas quæ *juriſdictionis* vulgò dicitur, non *uni*, ſed *unitati*, id eſt, confeſſui demandata eſt. Proinde cenſura Eccleſiaſtica non niſi ὑπὸ τῶν πλειόνων irrogari deber. 2 *Cor.* 2. 6.

76.

Septimò, differunt quoad correlatum, poteſtati politicæ omnem animam ſeu omnes cives cuiuſcunque ſtatus & conditionis ſubiici mandavit Dominus: quid enim nobis cum Pontificiis, qui clericos (quos vocant) ſeu Miniſtros Eccleſiaſticos à Jugo Magiſtratus politici immunes eſſe volunt? Poteſtas Eccleſiaſtica ad nullos alios cives ſe extendit, niſi ad eos qui fratres ſeu Eccleſiæ membra nominantur.

77

Octavò reſtat & alia differentia quoad diſtinctum ac diverſum auctoritatis exercitium: Utrâlibet enim pòteſtate ab officio ceſſãte vel pœnam remittente, id alterius poteſtatis exercitio præjudicium nõ parit, certe parere non debet. Nimirum ſi Magiſtratus ceſſet officium ſuum facere, vel facinoroſos, qui fratribus in Eccleſiâ accenſeri volunt, pœnis ſecularibus afficere negligat; Nihilominus Diſciplinæ

Eccleſi-

Ecclesiasticæ freno eiusmodi homines cohibere est penes τὺς προϊσαμένυς Ecclesiæ, etiamque vi muneris eos cohibere tenentur. Et vicissim pœnæ, quæ necem vel noxam corporis, vel dignitatum bonotumve amissionem inferunt, à Magistratu merito infliguntur, infligiq: debēt, non obstāte illius qui scelus perpetravit resipiscentiâ, vel cum Ecclesiâ reconciliatione.

79.

Itaque altero Gladio in vaginam recondito, alterum evaginare liberum, sæpe etiam necesse est. Neutra potestas eiicere vel recipere tenetur quem altera eiicit vel recipit. Cujus rei ratio inde petenda est quod Ministerium Ecclesiasticum in lapsorum resipiscentiam & lucrifactionem ad salutem potissimum respicit; quare & omnigenos scelerato̓s pœnitentiam agentes âmplectitur, & in sinum Ecclesiæ recipit. Diversum planè scopum sibi proponit Magistratus; nam & resipiscentes facinorosi ab illo plectuntur, tum ut Justitiæ & legibus satisfiat, tum ad terrorem aliis incutiendum. Hinc est quod absolutio à censurà Ecclesiasticâ nequaquam deliquentem liberet a Judicio civilii & Gladio externo.

79.

Cum igitur utriusque muneris tot tantæque sint differentiæ, cumque munus Ministrorum ac seniorum Ecclesiæ haudquaquam in munere Magistrātus contineatur; nec vice versa istud in

ud in illo comprehendatur, tam peccarent Magiſtratus, poteſtatem Eccleſiaſticam uſurpando, ſacra Miniſtrando, Miniſtros ordinando, vel diſciplinam Eccleſiaſticam exercendo quam Miniſtri in Magiſtratus fines irruendo, nejuſque vocationem ſeſe ingerendo.

80

Neque verò magis permiſcentur, aut minus diſtinguuntur illæ poteſtates, ubi Magiſtratus eſt Chriſtianus, quàm ubi eſt infidelis. Sicut in Patre fideli & Patre infideli, jura Paterna: ſic in Magiſtratu Chriſtiano, & Magiſtratu infideli jura Magiſtratus eadem ſunt: ita ut Magiſtratui ad fidem Chriſtianam converſo, nihil novi juris, nullum politicæ poteſtatis incrementum accedat, utut verâ fide ac pietate imbutus, tum demum maximè idoneus lubenſque efficiatur ad officium ſuum obeundum.

81.

Magiſtratus itaque Chriſtanus verbi vel Sacramentorum Miniſterium, claviumque regni Cælorum Adminiſtrationem adoriri vel uſurpare, & Eccleſiæ gubernacula inuadere, adeoque utriuſque Gladii, ſpiritualis & corporalis jus ſibi vendicare, Jure divino & lege Chriſti (regimen Eccleſiaſticum à regimine politico tam evidenti diſcrimine ſeparante & diſtinguente) prohibetur. Si verò Magiſtratus quiſpiam (quòd abſit) tantum ſibi arrogare, ac fimbrias ſuas uſque adeo dilatare audeat, mox

cogetur Ecclesia Jurë queritari & exclamare, mutatum iam esse Papam, manere autem papatum

82.

Magistratui Christiano, insuper, nefas est disciplinæ Ecclesiasticæ praxi & executioni (sive ea sit quæ Ecclesiæ particulari competit, sive ad Classem Synodumve res devolvatur) obniti, eamve impedire. Obnititur autem disciplinæ Ecclesiæ Magistratus sive prohibitionibus ac legibus iniquis, sive exemplo suo malo, alios ad eam contemnendam ac proculcandam incitando atque extimulando.

83.

Sanè Magistratus Christianus, si quando grave scandalum Ecclesiæ præbuerit, cum & ipse sit Ecclesiæ Membrum, potestati clavium sese subjicere neutiquam dedignari debet. Nec id mirum. Nam quemadmodum ipsum Ministrorum Ecclesiæ munus nequaquam subordinatur ac subjicitur potestati politicæ, sed persona Ministri, quâ civis est, ei subjicitur; ita ipsa potestas politica, seu Magistratus quà Magistratus potestati Ecclesiasticæ non subjicitur; attamen homo ille qui est Magistratus, quatenus est Eceleſiæ Membrum, censuræ morum Ecclesiasticæ, juxta *Theodosii* Imperatoris exemplum, subesse debet, nisi disciplinam Ecclesiasticam aspernari ac despicari, carnisque typho indulgere velit.

84.

Si quis

Si quis regerat, regimini quidem Eccleſiaſtico minime reſiſtendum eſſe à Magiſtratu; ejuſdem tamen abuſus à Magiſtratu corrigendos ac tollendos eſſe: Reſponſio in promptu eſt; peſſimis quidem & turbulentiſſimis temporibus, ſeu in collapſo ac perturbato ſtatu, quando ordo divinitus in Eccleſiâ inſtitutus in tyrannidem rapitur, ad veram Religionem conculcandam ejuſque profeſſores opprimendos, & κδδὲν ὑγίες; piis & fidelibus Magiſtratibus varia quæ ordinariè licita non ſunt, aggredi & præſtare conceſſum eſſe, quò extraordinariis malis extraordinaria remedia adhibeantur. Ita & Magiſtratui poteſtate ſuâ ad tyrannidem abutenti omniaque devaſtanti, modis ac mediis quibuſdam extraordinariis (utut ordinariè non probandis) obniti liceat.

85.

Ordinariè tamen, & ex Jure communi, in Eccleſiis conſtitutis, ſi quis ad Magiſtratum confugiat ac apud eum conqueratur, diſciplinæ Eccleſiaſticæ abuſu injuriam ſibi factam eſſe: vel ſi ipſi Magiſtratui diſpliceat vel iniqua videatur ſententia aliqua, ſive de diſciplinâ, ſive de fide à paſtoribus ac ſenioribus Eccleſiæ lata: non ideo cauſas illas Eccleſiaſticas ad civile tribunal trahere, vel papatum quendam politicum introducere fas eſt.

86.

Quid igitur? an ordinariè in Eccleſiâ quid-

vis licebit Miniſtris ac ſenioribus ? vel anne in Eccleſiis conſtitutis, Antiſtites in lege gloriantes prævaricatione ſuâ Deum dedecorabunt? abſit. Primùm enim, ſi quid in Magiſtratum legeſve politicas deliquerint, ſive cauſarum civilium dijudicationi ſeſe immiſcendo, ſive pacem ordinemque Reipub. aliter turbando, judiciis civilibus obnoxii ſunt, ac penes Magiſtratum eſt illos coërcere & plectere.

87.

Deinde malis Eccleſiaſticis remedia Eccleſiaſtica deſtinata atque aptata eſſe prius oſtenſum eſt. Eſt enim Eccleſia non minus quàm Reſpublica per Dei Gratiam ſibi ſufficiens in ordine ad ſuum finem : & ſicut in Repub. ſic in Eccleſiâ, inferiorum Judiciorum ac conventuum aberratio, malâve, Adminiſtratio, à ſuperioribus Judiciis ac conventibus corrigenda eſt, adeoque ab illis qui ſunt ejuſdem ordinis; ne ordo ordini, vel regimen regimini permiſceatur. Quid amabò hîc regerent poteſtatis Eccleſiaſticæ adverſarii, quod non pariter in Judicia politica & Reipub. Adminiſtrationem congerere ac transferre parati fuerint illi qui Magiſtratus Jugum non admittunt cum Rempub. etiam non minus quàm Eccleſiam malè adminiſtrari ſæpiuſculè contingat.

88.

Si quis adhuc obſtrepat, nullum ſaltem commonſtrari hîc remedium, quod Synod

natio

nationalis iniquitati vel errori adhiberi poſſit; Næ ille in eundem impingit lapidem, cum non æquâ lance hanc rem perpendat: nam & iſtud pariter in Regni Comitia, vel Reipub. Senatum ſummum recidere ac retorqueri poſſet. Judicium enim ſupremi ſenatus Politici, nihilo magis infallbile eſſe; quinetiam in rebus fidei ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ad lapſum proclivius (utpote ſtudiis ſacris minus aſſuetum) quàm Judicium Synodi Nationalis, quis non videt? Quæ igitur Pharmaca, quæve reſinaria malagmata ſummi Magiſtratus vel ſenatus lapſibus medendis ac ſanandis idonea habebuntur? Paria planè, immo ulteriora ac efficaciora medicamenta, quibus ſanentur Synodi Nationalis errores haberi poterint.

89.

Non deeſt ſanè *Φαρμακόθεον* ac opobalſamum in *Giihade*: nam etſi meritò exploſum ſit dogma pontificium de infallibilitate conciliorum; non fruſtra tamen Chriſtus cœtui ſervorum *ἀληθῶς* in nomine ſuo coëuntium ſe adfuturum pollicitus eſt. Tali certè cœtui adeſſe ſolet, ſpeciali Spiritus ſui ſubſidio ac adjutorio, ad ſuſtentandum cadentes, vel ad erigendum lapſos. Unde eſt quòd non ita raro priorum Synodorum lapſus à poſterioribus ultro reciudantur ac emendentur; interdum etiam unius ejuſdemque Synodi *αἱ δευτέραι φρονтίδες σοφώτεραι*.

Adhæc, longiùs ulteriuſque porrigitur ſubordinationis Eccleſiaſticæ quàm politicæ linea nam, Synodum Nationalem Synodo œcumenicæ, eo quo dictum eſt modo, ſubordinari ac ſubjici oportet; Cum tamen nulla agnoſcantur Comitia œcumenica quibus ſubjiciatur ſupremus in hac vel illâ Natione Senatus politicus. Denique neque proximioribus remediis prorſus deſtituitur Eccleſiâ; ſive concilium œcumenicum haberi poſſit, ſive non.

91.

Magiſtratui enim offenſo ac inquirenti vel interroganti Synodus ipſa Nationalis ſententiæ ſuæ fundamenta, factique ſui rationes, & quidem cum ſummâ, ut par eſt, reverentiâ, explicare debet. Quôd ſi Magiſtratus nihilominus diſſentiat, aut rationibus in contrariam partem (ſi ita ei viſum fuerint) allatis illos à ſententiâ flectere nequeat; poſtulare tamen & procurare poteſt, ut in aliâ Synodo Nationali res reſumatur & recognoſcatur, ſicque Judicio Eccleſiaſtico perpenſis utriuſque partis rationibus legittimè determinetur.

92.

Atqui ut Magiſtratus poſtulatui multum quidem dandum eſt; ita duplicem hîc adhiberi oportet cautelam. Primò enim non obſtante futurâ reviſione, priorem Synodi ſententiam, ſive circa diſciplinæ Eccleſiaſticæ Adminiſtrationem, ſive contra hæreſin aliquam

quam latam, executioni confestim mandari neceſſe eſt; ne cunctando & moras nectendo, Eccleſiæ malum altiores radices agat, ac Gangræna latius ſerpat, neve Miniſtrorum conſcientiis vis fiat, ſi ſigna gratiæ divinæ canibus & porcis, impuris ſcilicet hominibus in cœno impietatis volutantibus impertiri cogantur. denique ne talibus interſpirationibus ac interstallis verſuti homines ſic abutantur, ut diſciplina Eccleſiaſtica penitus flacceſcat, atque Synodorum etiam decreta habeantur quaſi aranearum telæ, quas nemo perrumpere metuit.

93.

Deinde concedi poteſt ut ulteriori examine res ſubjiciatur: eâ tamen lege, ut cum ad ſuperioris ſententiæ reviſionem venitur, infirmiorum quidem, qui dociles tametſi ſubdubitantes inveniuntur, ratio habeatur: improbis verò exploratoribus qui libertatẽ noſtram quam in Chriſto habemus opprimere, atque in ſervitutem nos adigere unicè annituntur, ne ad momentum quidem ſubjiciendo cedamus. Quid enim aliud illi quærunt ac præſtolantur, quã ut ſub reviſionis vel recognitionis prætextu, remoras & compedes ſubinde injiciant; ac ſtructis in ſidiis Eccleſiæ libertatẽ prodant, & clam ſubvertant, atque cum tempore, aperto marte validiùs in eam irruant: vel ſaltem Miniſtros Chriſti cogant *Penelopes* telam texere, quam nunquam abſolvere poterunt?

Porrò Magiſtratus Chriſtianus tum demum officio functus eſt circa Diſciplinam Eccleſiaſticam, quando illi non modò nihil detrahit, nullumve obicem ponit: ſed etiam inſigne adjumentum impendit, juxta prophetiam *Iſai.* 49 23. *Et erunt Reges nutritii tui, & Reginæ eorum nutrices tuæ.*

95.

Principes enim ac Magiſtratus Chriſtum exoſculantes, eique nomina ſua ſincerè dantes, non tantùm ut homines Chriſto ſerviunt ſed & munere ſuo ad Gloriam Chriſti & Eccleſiæ bonum utuntur: veram fidem ac pietatem defendunt, propugnant & propagari curant Eccleſiæ dant hoſpitium, neceſſariaque adminicula ſubminiſtrant: injurias ei illatas depellunt, falſamque Religionem Coërcent, Jura denique & libertates Eccleſiæ fovent, fulciunt, vindicant; tantum abeſt ut Jura illa mutent, minuant vel reſtringant: ſic enim deterior eatenus foret Eccleſiæ conditio, ejuſque libertas magis acciſa ſub Chriſtiano Magiſtratu, quàm ſub infideli ſeu Ethnico.

96.

Quare cum nutritii illi, fautores ac defenſores nihil poſſint adverſus veritatem, ſed pro veritate, nec quicquam Juris contra Evangelium, ſed pro Evangelio nacti ſint; illorumque poteſtas, reſpectu Eccleſiæ cujus curam gerunt, non ſit *privativa vel deſtructiva*, ſed *cumulativa & auxiliaris:* exinde ſatis liquet, eos diſci-

disciplinam Ecclesiasticam fovere ac sanctione suâ stabilire debere. Minimè id quidem fide implicitâ, vel cœcâ òbedientia : nemini enim fideli, nedum Magistratui Judicium Christianæ prudentiæ ac discretionis de iis quæ ab Ecclesiâ decernuntur vel statuuntur Reformati denegant.

97.

Igitur sicut unicuique Ecclesiæ membro, prout cujusque interest, sic & Magistratui de ejusmodi rebus competit Judicium tum apprehensivum tum discretivum : Etsi enim Magistratus nequaquam ad id à Deò sit cõstitutus & præfectus, ut sit judex rerum spiritualiũ de quibus in Ecclesiâ lis mouetur : est tamen procul-dubio judex politci sui actus circa spiritualiâ, de iis scilicet in suâ ditione tuendis, approbandis, vel tolerandis. atque si in hoc negotio secundum id quod sapit caro, non autem secundũ sacræ Scripturæ amussim, acsapientiam quæ supernè est, judicet atque statuat, de eo coram superno tribunali rationẽ redditurus est.

98

Utut sit, disciplina Ecclesiastica, prout à Christo instituta est sive sãctione civili stabilita ac ratificata fuerit, sive non, in cætu fidelium (quãdiu eis in cœtus sacros coire liberum vel tutum est) reteneri ac exerceri debet. Sanctionis enim civilis carentia est Ecclesiæ instar *lucri cessantis*, non autem instar *damni emergentis*: Utique, sicut nihil superaddit, ita nihil detrahit.

99.

Si porrò contingat (avertat autem Deus) Magiſtratum eoulque auctoritate ſuâ abuti, ut ſeverè prohibeat quod Chriſtus inſtituit; cordati tamen & fidi Chriſti ſervi, extrema quævis potius ſubeunda eſſe, quàm ut pareatur; Deoque magis quàm hominibus obediendum eſſe apud ſe ſtatuent; adeoque officii ſui partes omnes obire non ceſſabunt; parati interim omni interroganti, præſertim verò Magiſtratui (ut ſupra dictum eſt) rationem ſuæ praxeos reddere.

100.

Hæc non eo animo proponuntur ut munia iſta inter ſe committantur, aut quaſi ad dimicandum ſeſe accingentes adverſis frontibus opponantur; quo nihil tum Eccleſiæ tum Reipub, pernicioſus, nihil iis, qui ſincero & Sancto pro domo Dei zelo accenſi ſunt, execrabilius, (neque enim ita didicerunt Chriſtum:) ſed ante omnia ut Regi Regum & Domino dominantium Ieſu Chriſto unico Eccleſiæ Monarchæ ſua gloria & prerogativa regalis (de quâ etiam ipſe in mundo accuſatus, proque ejuſdem Confeſſione, ac præclara coram Pontio Pilato profeſſione, ad mortem injuſtè condemnatus fuit) in ſolidum aſſeratur & vindicetur.

101.

Denique & huc collimat diſſertatio iſta, ut tam cenſuræ Eccleſiaſticæ, quàm Gladii civi-

lis

lis poteſtate vigente; carnalium hominum qui vel nullam eſſe, vel nimis laxam diſciplinam Eccleſiaſticam cupiunt, licentia frænetur: adeòque minus peccetur, magiſque Evangelicè vivatur. Præterea hic etiam ſcopus ob oculos habetur: ut confoſſis utrinque erroibus tam illorum, qui ſub ſpecioſo prætextu aſſerendi & vindicãndi Jura Magiſtratus, vel nullam vel nimis debilem poteſtatem Eccleſiæ relinquunt: quam aliorum, qui ſub putativæ cujuſdam Chriſtianæ libertatis velo Magiſtratus Jugum averſantur, utraque poteſtas Privilegiis ſuis fruatur. adhæc, ut utraque ſuis cancellis & limitibus circũſcriptâ: necnon alterâ ope alterius fortius ſuffultâ & ſtatuminatâ, ſacta inter eas alatur concordia, atq. ſeſe mutuò amicè complectantur. 102.

Poſtremó, cum non deſint quidam malè feriati homines qui non ceſſant pervertere vias Domini rectas, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ (ubi jam introducitur, quinetiam ubi pridem ſtabilita fuit, & etiamnum fœliciter obtinet) Jugum excutere omni operâ conantur, peſſimis illorum conſiliis obviam iri oportuit. Quæ quidem cum ita ſint, cum bonâ veniâ ac pace Eccleſiarum illarum orthodoxarum, apud quas nondum in uſu eſt Excommunicationis diſcipli na, hæc dicta ſunto: neque enim facilè ullum ſeis offendiculum hinc naſci poteſt: quinetiam niſi fallat conjectura, non poterunt non ſibi gratifica-

tificari de iſtius diſciplinæ vindiciis.

103.

Neque enim illæ Eccleſiæ inficiantur, ſed agnoſcunt & docent diſciplinam Excommunicationis verbo Dei maximè conſentaneam eſſe, adeoque revocari ac in uſu eſſe debere. Quod & antehac obſervavit & monuit vir doctiſſimus *Zacharias Urſinus* in declaratione ſuæ de Excommunicatione ſententiæ, principi *Frederico* tertiò Electori *Palatino* exhibita, cui titulus eſt, *Iudicium de diſciplina & Excommunicatione.*

104.

Ita enim ille. *In aliis* (Eccleſiis) *ubi aut nulla eſt Excommunicatio in uſu, aut non legitimè Adminiſtratur; ac nihilominus abſque omni controverſiâ in Confeſſo eſt ac palam docetur eam meritò in Eccleſiâ vigere debere.* Et infra. *Ne etiam celſi ſitudo tua ſe ſuaſque Eccleſias ab aliis omnibus Eccleſiis, tam ab iis quæ nullam habent Excommunicationem, quam ab iis quæ habent, novâ hac opinione ſejungat: ſiquidem univerſæ & ſingulæ uno ore confitentur, ſemperque confeſſæ ſunt meritò illam in uſu eſſe debere.*

105.

Eodem ferè recidit quod aſſerit vir ſummus *Philippus Melanchton* in locis Theolog. Cap. de Magiſtratibus civilibus. *Supra* (inquit) *monui ordinem politicum diſcernendum eſſ à confuſionibus quæ aliunde admiſcentur, partim â diabolo, partim ab hominum malitiâ, partim à communi infirmitate hominum; ut fit in aliis vitæ generibus ac*

bus ac gubernationibus à Deo ordinatis; nemo dubitat Ecclesiasticam gubernationem à Deo institutam esse, at quantum accedit confusionum aliunde? Ubi de gubernatione Ecclesiasticâ, a munere Magistratus Jure divino distinctâ ac discretâ, tanquam de re non controversâ loquitur.

106.

Nec defuerunt florentiorum Theologorum Tigurinorum & Bernensium vota pro disciplinâ Excommunicationis revocandâ & instaurandiâ. Ita *Bullingerus* in 1 Cor. 5. *Et hactenus* (inquit) *de castigatione scelerum Ecclesiasticâ. Hic tamen diligenter admonitos volo fratres, vigilent, & omni diligentiâ curent, ut salutare hoc pharmacum, è cœtu Sanctorum Pontificis avaritiâ eliminatum reducatur, hoc est, ut scelera offendentia plectantur. Hic enim unicus est Excommunicationis finis, ut mores excolantur, & floreant sancti, prophani verò coërceantur, ne mali porrò impudentiâ ac impietate grassentur. Nostrum est ista, O fratres, summâ cum diligentiâ curare. Videmus enim & Paulum cessantes, hoc loco, incitare.*

107.

Annuit *Aretius* Problem. Theol. Loc. 53. *Magistratus fugum non admittunt timent honoribus, licentiam amant: vulgus quoque & plebs dissolutior, major pars corruptissima est &c. Interea non desperandum esse libenter fateor; dabit posterior atas tractabiliores fortè animas, mitiora pectora quàm*

nostra

noſtra habeut ſecula. Aſtipulantem quoque eccs *Lavaterum* Hom. 51. in Nehem. *Quia Pontifices Romani Excommunicatione ad ſtabiliendam ſuam tyrannidem abuſiſunt, factum eſt ut nulla ferè juſta diſciplina amplius in Eccleſiâ inſtituti poſſit: Niſi autem flagitioſi coërceantur, omnia ruant in pejus neceſſe eſt.* Videatur præterea D. *Fabrum* in Pſal. 149. 6, 7, 8, 9. De ſpiritualibus caſtigationibus ſententia; ex illo textu cum Matth. 16. 19. & 18. 18. Joh. 20. 23. collato deprompta.

108.

Eundem aliis ejuſmodi Eccleſiarum doctis & piis Theologis fuiſſe & eſſe animum vix quidem in dubium vocari poteſt: & quidem indicio eſſe poterit ipſa Confeſſio Fidei Eccleſiarum Helveticarum, Cap. 18. *atqui debet interim eſſe inter Miniſtros diſciplina, inquirendum enim diligenter, in doctrinam & vitam Miniſtrorum, in Synodis. Corripiendi ſunt peccantes à ſenioribus, & in viam reducendi, ſi ſint ſanabiles, aut deponendi & veluti lupi abigendi ſunt per veros Paſtores à grege dominico, ſi ſint incurabiles.* Hunc morem cenſuræ Synodicæ, deponendi ſcilicet ab officio Miniſtros propter grave aliquod ſcandalum in Eccleſiis ditionis Tigurinæ vigere, teſtis eſt *Lavaterus* in libello *de ritibus & inſtitutis Eccleſiæ Tigurinæ* Cap. 23. Ea certè non potuit eſſe illis mens, in delinquentes ſolum Miniſtros, non itidem in putida Eccleſiæ

cleſiæ Membra diſciplinam Eccleſiaſticam exerceri debere.

109.

Quid quòd Confeſſio Helvetica, loco jam citato, Donatiſtarum & Anabatiſtarum (qui lolio eradicando ex agro dominico uſque adeo intenſi ſunt, ut a periculo evellendi etiam triticum non caveant) inordinatum zelum ita preſtringit, ut ſimul etiam diſciplinam Eccleſiaſticam à poteſtate politicà diſtinctam non obſcure commendet. *Cumque omnino* inquiunt, *oporteat eſſe in Eccleſia diſciplinam & apud veteres quondam uſitata fuerit Excommunicatio, fuerintque judicia Eccleſiaſtica in populo Dei, quibus per viros prudentes & pios exercebatur hæc diſciplina, Miniſtrorum quoque fuerit ad ædificationem, diſciplinam moderare hanc, pro conditione temporum, ſtatus publici, ac neceſſitatis; ubi ſemper tenenda eſt regula omnia fieri debere ad ædificationem, decenter, honeſtè, ſine tyrannide & ſeditione: Apoſtolus etiam teſtatur.* 2 Cor. 13. *ſibi à Deo traditam eſſe in Eccleſiâ poteſtatem ad ædificationem, & non ad deſtructionem.*

110.

Quod ſupereſt, orandus eſt Deus aſſiduis & ardentibus precibus, tum ut univerſis ac ſingulis Magiſtratibus indat zelum ſtudiumque, diſciplinam Eccleſiaſticam, unà cum reliquis Chriſti inſtituis, fovendi, tuendi ac muniendi; aureſque ſuas palponum quorumlibet illos

in Ec-

in Eccleſiam concitantium ſolicitationibus obſtruendi: tum ut omnes ubique Eccleſiarum præfecti & Rectores, Spiritus ſui Sancti viribus inſtructi & adjuti, hanc etiam muneris ſui partem ſedulo & fidelter exequantur, ut decet fidos Chriſti ſervos, qui Domino ſuo magis quàm hominibus placere ſtudent.

III.

Monendi denique & rogandi ſunt per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum quotquot à diſciplinâ Eccleſiaſticâ alieniores vel adverſus eam iniquiores ſunt ne diutius carnis præjudicio faſcinati, humanis hac in re affectibus indulgeant; corruptaque ſuâ ratione diſciplinam ſpiritualem metiantur; ſed ut probè ſibi in animum revocent & inducant, quanto præſtet ut carnis cupiditates, quaſi fœno injecto domentur, hominumque vitiis deditorum reſipiſcentia emendatio ad ſalutem quæratur; quam ut peccantes ingenio ſuo relinquantur, cupiditatibus ſuis impunè obſequi, alioſque exemplo ſuo malo in ruinam præcipites ſecum trahere pemittantur. Cumque vel Claves diſciplinæ rubiginem nullam, vel mores Chriſtianorum rubiginem multam contrahere oporteat: quid hic eligendum, quid cavendum ſit, penes prudentes ac pios quibus ſalus Eccleſiæ maximè cordi eſt, Judicium eſto.

FINIS.